

Back

Hist. Germ.
Biogr.
200,8

28 Germ. Vin. Ill. 57. (2^o)

PROGRAMMA
IN
EXEQVIIS
IUVENIS POLITISSIMI
GEORGII ADAMI
BECKII
ONOLSBACO FRANCI
IVRIVM CVLTORIS EGREGII
P. P.
IN ACADEMIA JENENSI.

IENAE
LITTERIS MULLERIANIS.

7, 1.



PRORECTOR ACADEMIAE IENENSIS
IO. IACOBVS SYRBIVS

PRIMAE ET RATIONALIS PHILOSOPHIAE
PROFESSOR ORDINARIVS

VNA CVM PROFESSORIBVS RELIQVIS

S. D.

CIVIBVS.



Vpremius istud officii genus praeter opinio-
nem hodie deposcentis, tam virtute ante-
hac, quam doctrina egregii iuuenis, GE-
ORGII ADAMI BECKII, Onolsbacensis,
iacturam, tanto grauius, cum parentibus
ac propinquis, ferimus; quanto certior ex-
pectationis laetissimae fructus obitu eius eri-
pitur; quantoque tristior probitatis ac indu-
striae BECKIANAE memoria nobis relinqui-
tur. Vsque eo ex BEATI quoque exemplo
ac morte intelligitur, praestantissimorum
non raro hominum vitam, siue cum foliis,
leui saepius ventò decussis, siue cum vitibus, post flores & uas exarescentes,
inconstantiae humanae imaginem prae se ferentibus, suo merito aequandam
venire, neque certi firmique aliquid, in hac rerum vicissitudine, polliceri; nisi
quod

quod vitae, post obitum, melioris expectatio, istam christianorum sollicitudinem alleuet, doloremque abstergat. De Hispanorum monarcha, cui Philippi tertii nomen haerebat, memoriae proditur, eum in horto pretiosissimo, malum punicum, singulari elegantia ac magnitudine praestans, annorum iam aliquot interuallo, atque eo vnice instituto, fouisse; vt Henrico Austriaco, magnae coniugis fratri, dono nuptiali id mitteretur; & vt rarae adeo formae ac pulchritudinis fructus, inusitatae similiter fidei ac beneuolentiae pignus extaret. Interea vero temporis, ab hoste quodam vicino, nocte aliqua ereptum hoc pomum, tantum, tamque acerbum illico sui desiderium in animo Regis commouit, vt is facti istius historiam, velut posteritatis memoria prae ceteris dignam, pictoris arte repraesentari, talemque ad modum fingi iuberet: vt ad Philippi videlicet manum dictio, MEVM, apponeretur; prope Henrici vero Austriaci dextram vox, TVVM, extaret; illius denique os, qui pomum hoc surripuerat, vocabulo, NEVRVM, insigniretur. Nos de BECKII, ad meliora translatis, amissione aliter paullo pronunciamus: quem & parentes honoratissimi, quoad in viuis commorabatur, suum dicere potuerunt; & Deus pariter, morte ipsum inopinata auferens, iure optimo sibi vindicabat; vtrorumque omnino futurum, quando iis, a quibus antehac procreatus, & ad honestissima quaeque formatus est, in coelis reddetur. Haec enim votorum, a bonis tunc omnibus susceptorum, summa extitit, cum a magnis principibus habitata Onolsbacensium terra, annis abhinc viginti ac vno, auspicata admodum ac laeta nascendi initia BEATO praeberet. PATREM, & archidiaconi apud Onolsbacenses nunc munere, & actate, qua suos collegas superat, & sanctissimis meritis, quibus fidei suae commissos sibi obligat, venerabilem, IO. IACOBYM BECKIUM, vna cum religiosissima MATRE, SOPHIA ROSINA, amplissimo VLMERORVM genere orta, quantam tunc ex natalibus filii voluptatem, tantum ex praematuris ipsius funere in praesenti dolorem capere, haudquaquam miramur. Postquam enim a maternae familiae AVO pernobili, atque laudibus nostris maiori, GEORGIO ADAMO VLMERO, aerarii ducalis consiliario non nisi honorifice memorando, & sanctissimo christianorum lauacro illatus, & praenomina quoque a tanto Iureconsulto nactus fuerat; nihil non familia sua dignum promisit, auctisque postea annis, ad PARENTVM non minus, quam propinquorum decora adoleuit. Pietatis quippe & obsequii laudem, studiorum liberalium, quibus mature, ob capacitatem ingenii, adhiberi potuit, incrementis addebat; neque iis, a quibus genitus erat, quod PARENS nuper honoratissimus suis litteris testabatur, irascendi vnquam occasionem, culpa sua, praebebat. Qui iuuentuti erudiendae in Onolsbacensi lyceo praeerant, Viri in officiorum suorum partibus praeclare versati, FERBERVS, HAGENIVS, PVBIVS; atque illi praecipue, qui CONECTORVM prouinciam laudabiliter sustinebant, M. IO. LAVRENTIVS BECKIVS, & IO. GEORGIVS CHRISTOPHORVS FEVERLINVS; omnium vero maxime, qui laudati gymnasii clauum egregie moderatur, GEORGIVS NICOLAVS KOEHLERVS, nostro, per optimarum artium stadia vltro currenti, calcaria insuper addiderunt: & vt SALANAM hanc nostram, quam anno MDCCCXII, die XXII Aprilis, studiorum sublimium, quibus abunde se praeparauerat, sedem sibi deligeret, vna cum PARENTIBVS prudentissimis, auctores fuerunt. Eam vero iurisprudentiae, cui se, instinctu diuino, addixerat, viam expeditissimam ratus, quae a philosophiae, artiumque humaniorum principiis proficisceretur; rerum quidem gestarum notitiam a celeberrimo STRVVIO; terrae autem dimetiendae, & corporum naturae inuestigandae scientiam ab exercitatissimo in
his

his artibus HAMBERGERO ; logicorumque artificia a me, athenaei huius iam PRO-
 RECTORE; morum insuper disciplinam, atque reliqua sapientum sancita a prae-
 clarissimo BOTO feliciter hauriebat; in stili denique exercitiis ROSAM, magi-
 strum scilicet philosophiae doctissimum, ducem fortitus. Nec minorem interea
 mentis ardorem & constantiam, cum Iurisconsulto egregio, IO. CHRISTIANO
 SCHROETERO, institutiones tunc imperatorias scholis publicis explananti; tum
 nobilissimo FRATRI, cuius, inter legitimae disciplinae Doctores, & prouincialis
 apud nos curiae aduocatos, haud vulgare est nomen, CASPARI ACHATIO BECKIO,
 elementis Iustinianeis, cunctisque iurisprudenciae, tam ciuilibus & canoni-
 cae, quam de feudorum ratione agentis, & ex naturae ac gentium legibus deri-
 natae, partibus, lumen clarissimum afferenti; & maximorum simul iuris anti-
 stitum, HOPPII, PVFFENDORFII, STRVVI, LVDOVICI, SCHILTERI, STRYKII, KVL-
 PISII, LAVTERBACHII, STRAVCHII, de argumentis his editos libros erudite interpre-
 tanti, continuo approbavit; inque examinibus crebris, & in disputatorum quoque
 arena, moderatore eodem, egregie stetit; integrum ita iuris curriculum, iterata
 iam vice, ac prosperrimo successu emensus. Aeque vero laudabili instituto
 cum in excolendae virtutis sententia BEATVS perstiterit; &, quae vel leuem ali-
 quam vanitatis vitiique suspicionem facerent, ea infra se iudicauerit; tamque
 exoptatissimo FRATRI, honesta ac laeta omnia de se scribendi, quam veneran-
 dis PARENTIBVS, spem de studiis suis insignem ac certam concipiendi, causam
 praebuerit; equidem vehementer dolendum est, destinata haec optima, atque
 omnium laude dignissima, ab incommoda valetudine, quae, aliquot abhinc
 mensibus, a stomachi, viscerumque inferiorum ac dorsi doloribus, initium
 cepit, nuperius vero in COLICAE, prout medicorum filii vocant, SCORBTICAE
 morbum desiit, qui, quod scirrhus in latere sinistro obstaret, ab vtrisque VVE-
 DELIIS, summae doctrinae ac experientiae Viris, expugnari haud poterat, mu-
 tata nouissime ac interuersa fuisse. Inter haec BECKIUS mentem, pietatis ac
 fiduciae plenam, inque coelum subinde, non sine admiratione omnium, emi-
 cantem, magisque adhuc, summe reuerendi VVEISSENBORNIi verbis, diuinoque
 viatico confirmatam, ipsis calendis Augusti, inter laudatissimi FRATRIS, alio-
 rumque, qui aderant, preces ac gemitus, Deo reddebat. Vestra interest, CIVES,
 Iuuenis tam praeclari exequiis, sollempni hodie ritu celebrandis, habitu lugu-
 bri adesse, pietatemque vestram mortalitatis memoria excitare. P. P. sub

Acad. Sig. Domin. x. post Trinit. A. O. R.

CIO MDCCXIV.



